

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0220

0218

0224

0214

0229

0209

0269

0169


0319

0119

0719

Ende

Anfang



208

Jerusalem requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et in 2 Paralip. VI.: A die, qua eduxi populum meum de terra Aegypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, nisi hanc. Et alibi: Elegi locum istum, ut sit nomen meum ibi usque in sempiternum. Sed diceret aliquis: Fateor, Jerusalem fuisse civitatem electam et sanctam ante Domini mortem, sed tanto scelere ibi perpetrato indignum videtur, nominari sanctam, sed profanam et immundam etc. Ad hoc respondet Jeronymus ad Haedibiam in quaest. de clamore Domini in cruce dicens: Nulli violentum esse videatur, mortuo Salvatore appellari Jerusalem sanctam civitatem, cum usque ad destructionem ejus semper apostoli templum ingressi sint, ob scandalum eorum, qui de Judaeis crediderant, legis exercuerint ceremonias. In tantum autem Jerusalem amavit Dominus, ut fleret eam ac plangeret, et pendens in cruce diceret: Pater, ignosce illis etc. Haec Hieronymus. Sed in epistola Paulae et Eustachii ad Marcellam valde late de hoc disputat, et multa de laude terrae sanctae et Jerusalem ibidem dicit.

De laude civitatis sanctae, ut illam extollant, tradiderunt Judaeorum Rabbi mira mendacia. Unde Rabbi Johann dicit: eam altius elevandam tribus leucis. Sed Rabbi Rava dicit: Quod prima Jerusalem habuit tres leucas in altitudine. Et quando dicebatur ei, quod labor erat ascendentibus, respondit: non ibant, sed volabant, juxta id: qui sunt isti, qui ut nubes volant? Rabbi Relachis ampliora mendacia addit, dicens: Quod Deus addat sacrae Jerusalem 269 miliarium viridariorum, et 210 miliarium turrium, et 146 millia magnarum navium, et 300 millia parvarum navium, quas borgas nominant, et in qualibet erant tot fora, quot fuerunt in Tripoli tempore suae pacis. Alius mendax Rabbi Joce dixit: Quod Jerusalem habuerit 140 millia fororum, in quibus solum vendebatur ciborum variorum delectatio. Nam eorum Rabbi crapulosissimi erant, adeo crassi et praepingues, ut musca insidens fronti, cum figere se non posset, et aliquibus capilli percrassi, ne cadebant. Ideo glossa dicit: Jerusalem praedicabant pro solatio crapulositatis eorum. Haec ex talmudicis